



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

LII. P. Benedicto Leodiensi Capvcino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**

## L I I.

P. BENEDICTO LEODIENSI  
CAPVCINO.

Miserat is Auctori piam imaginem, Kalend. Augu-  
sti, & carmen in ejus laudem ac gentilitium in-  
signe. reponit Auctor imaginem tesseræ, quam  
sibi eo anno CIC 100 XLI II conformaverat;  
qua, à secularibus abstrahi se quotidie magis  
velle, profitetur.

**S**temmata majorum, clypeique insigne paterni,  
Vos querñæ frondes, montes, & sidera, abite.  
Non ego gentiles ceras, non somnia, & umbras,  
Ultra sectabor. Cordis penetralia Iesu,  
Sat mihi, si teneat, qualem designat imago,  
De cruce pendentem. O utinam, mea vera voluptas,  
Perpetuo tecum vivam! sic vincere sensum,  
Et vitium, tua palma dabit: sic pinguis oliva  
Lætitiam pacemque feret: sic grata corona,  
Pro te posse pati: tua sic vexilla sequentem  
Excipies cœlo tandem, dulcissime Iesu.  
Cætera quid quærām, quando fers omnia tecum,  
Et sine te nihil? Ergo, Deus meus, omnia solus  
Sis mihi; seu vitam placeat producere, mortem  
Seu properare magis; fiat tua sola voluntas.  
Hæc, venerande Pater, meditantem forte Kalendis  
Augusti, atque novi implorantem Cælitis una  
Præsidium,

Præsidum, tua me deprendunt munera, carmen,  
 Atque icon, picta egregie. Modo reddere grates  
 Optarem, æquales meritis: sed nulla potestas  
 Par mihi, ni puro maneas contentus amore,  
 Dum parva mecum defigis imagine vultum;

## L III.

## LEONIS VICTOR LEPVS.

Roma ab Arnulpho, Germaniæ Rege, per occasio-  
 nē leporis capta; quæ urbs Leonina dicebatur.

**G**ermanus Latias nequicquam dum obsidet arces;  
 Dat quibus erector nomen habere Leo;  
 Territus armorum sonitu se parvus ad urbem  
 Fert lepus, & timido corripit arva pede.  
 Insequitur miles fugientem, & ludicra bella  
 Dum movet in leporem, seria Roma timet.  
 Heu, qui fortunæ lusus! quæ vicerat orbem  
 Armis, à ficto vincitur ipsa metu.  
 Mœnia destituunt cives; urbs inclita capta est;  
 Prædaque tam pavida dicitur esse feræ.  
 Ergone viètricem gentem venabitur hospes,  
 Vincet &, hostili non quatiente manu?  
 Scilicet, ut veri metuas mandata Tonantis,  
 Argumentum ingens, Martia Roma, vides.  
 Succumbis lepori leo, te hostis concutit error,  
 Atque aliena procul te fugat usque fuga.